DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
HÆMORRHAGIA UTERINA;
QUAM,
ANNUENTE SUMMO NUMINE,
EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI
D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.
ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;
NECNON
AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,
ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;
Pro Gradu Doctoris,
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,
ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT
ALEX[R.] R. JACKSON,
EX INDIA ORIENTALI,
SOC. REG. MED. EDIN. SOC.

Parce precor gravidis facilis Lucina puellis.——OVID.

Die 1mo Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:
EXCUDEBAT ROBERTUS ALLAN.
MDCCCXVIII.

AMICO SUO OPTIMO,

JACOBO HARE, M. D.

DE CALDERHALL,

OB OMNIA EJUS BENEFICIA

IN SE SUOSQUE COLLATA,

HANC DISSERTATIONEM,

ANIMI GRATISSIMI PIGNUS PEREXIGUUM

D. D. C.QUE

ALEX[R.] R. JACKSON.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

HÆMORRHAGIA UTERINA.

ALEXANDRO R. JACKSON, AUCTORE.

PROŒMIUM.

HÆMORRHAGIA ex utero, licet aliis internis sanguinis profluviis, quoad signa solita haud absimilis sit, numero tamen et magnitudine vasorum ex quibus fluit, et modo quo natura fluxum reprimit, ab eis longe differt.

In aliis internis hæmorrhagiis, syncope fere superveniens, coagulo in vasorum orificiis laceratorum formato, et eorum extremarum partium contractione, rivum sanguinis moderat, hoc

consilio, ideo, omnia, quæ valent ad actionem cordis et arteriarum retardandam, laudantur. Ea remedia solummodo efficacia esse posse, quum fluxus ex minoribus vasis procedit, clare constat, nam cum ex majoribus profluit, hæmorrhagia lethalis evadit.

Sed in hæmorrhagia uterina, res aliter se habet; nam quamvis sanguis ex magnis et plurimis vasis fluit, rarius lethalis est, et uti sanguis in hac specie hæmorrhagiæ, ex magnis venis æque ac arteriis effunditur, tota vis contractilis quam possident, ad hæmorrhagiam supprimendam parum valet. Sed vis insita contractilis uteri ipsius, vasa comprimendo eidem effectui inservit, et hoc modo fluxum reprimit.

Quoniam hæmorrhagia uterina sæpe occurrit, et semper periculosa est, medici a primis temporibus, ad hanc mentes dedere, ac multas opiniones inter se discrepantes, quomodo curetur formavere.

Hic morbus, ullo tempore ex impregnatione, usque ad expulsum fœtus et placentæ fine solito graviditatis, occurrere potest, sed in paginis sequentibus, pauca solummodo, de istis

hæmorrhagiis, quæ inter partum, et post placentæ expulsum accedunt, dicere statui.

SYMPTOMATA.

Variis modis accidunt, atque diversis signis comitantur, hæmorrhagiæ uterinæ, nunc enim subito et improviso, nunc tarde et sensim adoriuntur. Symptomata quæ primo sese ostendunt, sunt totius corporis lassitudo et segnities, una cum rigoris aliquo et horroris sensu. Iis mox accedunt dolores, præcipue regionis hypogastricæ et inguinalis, necnon lumborum. Sanguinis e vagina fluxus, primo modicus, posteo profusior, intermittens paulisper, et deinde gravior rediens. Mammæ ut plurimum simul flaccescunt; atque tenesmo molesto vexatur ægra. Sanguine adhuc profluente, debilior languidior fit gravida, et nisi fœtu cito liberatur, vita maximo in discrimine versatur. Longum malorum agmen certe subsequitur, veluti cephalalgia, animus valde turbatus, nausea, vomitus, extremo-

rum frigus, pulsus parvi ac debiles, et haud raro syncope. In aliis exemplis, hæmorrhagia insidiosissima, et plerumque lethalis accedit. Nam post partum infantis, si placenta, aut coagulum sanguinis, cuneolum in ore uteri aut vagina format, quamvis nullus sanguis externe appareat, et omnia signa hæmorrhagiæ externæ omnino absint, sanguis tamen interne effundi potest, donec uterus, vi ejus distendenti cedens, penitus referta fit. Primum indicium talis casus, est, ægræ languor insignis; facies cadaverosa anxietatem maximam denotans, abdominis distensio, extrema frigida, respiratio laboriosa suspiriis convulsivis stipata. Si in hoc morbi stadio, cuneolus removeatur antequam mulier morbo succumbat, et uterus ad contractionem excitetur, magna copia sanguinis eruit; et si omnibus his malis sit superstes, fere per longum tempus, in debilitate extrema vitam trahit, et variis morbis fit obnoxia scilicet dyspepsiæ, et hydropibus omnigenis.

CAUSÆ.

Proclivitas ad hunc morbum, ex variis causis oriri videtur, præcipue ex vitiis quibusdam, sub paroxsysmi tempore corpus afficientibus, atque ex morbis antegressis, quorum effectus adhuc ex aliqua parte manent. Inter ea quæ nunc adsint, quæque mulieres ad hæmorrhagias uterinas proclives reddant, recensentur plethora et pinguitudo; hæc vitia interdum conjuncta, sed aliquando etiam singula occurrunt. Æqua vasorum plenitudo, ad tonum et vigorem justum prorsus necessaria est; nimia autem, vasa fatigat, eorum vim frangit, et fibrarum motricium totius corporis debilitatem gignit. Hacce vero plenitudine et debilitate perstante, vix fieri potest, quin mobilitas morbosa, et nimium sensibilitatis nascatur, inde demum, ut experientia docet, gravidæ sanguinis profluviis ex utero obnoxiæ, ab causis levibus evadunt.

Morbi antegressi, qui proclivitatem ad hæmorrhagias uterinas inducunt, sunt præsertim abortus iteratus, menorrhagia, leucorrhea, lues venerea, et hysteria. Hi morbi quidem, debilitatem et mobilitatem gignendo atque augendo, tantam proclivitatem faciunt, ut mulieres quæ sæpe aut diu eis laboraverint, ita proclives fiunt, ut in morbum, nulla causa excitante admota, facile incidant. Sæpius tamen morbus ex quadam causa excitante originem trahit.

Causæ occasionales in classes duas dividi possunt; quæ nimirum ad matrem ipsam, vel quæ ad partum attinent. Ad classem primam referendæ sunt, omnes noxæ, quæ in uterum ipsum et partes vicinas agunt, sicuti venus immodica, calculi in vesica urinaria; diuretica acria, præcipue cantharides; acria et drastica purgantia, maxime aloëtica, emmenagoga, tenesmus, diarrhœa vel constipatio, (quæ frequentius gravidis, propter fæcum moram in intestinis, et absorptionem materiæ tenuis majorem, accidere solet;) uteri vel partium utero vicinarum inflammatio, ulcera, vel vulnera; colici dolores, ictus in ventrem inferiorem vel in lumbos, musculorum lumborum actio vehemens, totius corporis vel ex lapsu vel ex saltu concussiò, nisus gravis, et motus corporis laboriosi,

abnormes, aut convulsivi. Ad hos etiam referuntur causæ multæ, scilicet motus animi vehementiores, quæcunque porro sanguinem nimia copia uterum versus propellunt, ut victus lautior, liquores spirituosi et fermentati; calor externus, necnon motus animi deprimentes. Postremo uteri ipsius rigiditas, atque pelvis male formata inter causas excitantes hujus profluvii, haberi possunt.

Causæ quæ ad partum ipsum pertinent, sunt, positio fœtus prava, moles ejus solito grandior, gemella aut tripla proles. Idem facit funis umbilicalis brevis aut complicatus, quoque circa collum vel membra fœtus contortus, aut demum varicibus obsessus.

Sed causa frequentissima hæmorrhagiæ uterinæ est placentæ situs inepta. Placentam semper fundo uteri natura adhærere, et nunquam in inferiore parte reperiendam esse, nisi postquam ex fundo delapsa, aliæ parti uteri se affixerat, olim multorum veterum opinio fuit. Sed nuper per multas recentes observationes, placentam, in aliis fœminis, partibus aliis uteri, et etiam in eadem fœmina, graviditatibus diversis, adhærere compertum est. Ita poni potest, ut cum tem-

pus legitimum partus pervenerit, profluvium sanguinis accedere necesse erit; et hoc etiam, sine ullius causæ fortuitæ interventione; scilicet eæ uteri parti quæ semper ut partus progreditur dilatatur, (*viz.* cervici et ori uteri) adhæreat. Rebus ita se habentibus, placentam usque ad fœtus expulsum, integram manere non posse, sed partu progrediente, dilatione uteri ut amoveatur necesse erit, et hinc hæmorrhagiam fieri plane constat.

Vis fibrarum uteri contractilis imminutus, est causa frequens hæmorrhagiæ. Profluvium sanguinis quod detractionem placentæ sequitur, vi contractili uteri supprimi jam dictum est; si igitur defectus ejus existat, hæmorrhagiam uterinam sequi necesse est. Uteri torpor incuria, in primo partus stadio, priusquam uterus se contraxerit, aut subita fœtus evulsione, vel manu vel instrumentorum ope, postquam caput emissum fuerit, oriri potest. Mulieres quæ sæpius gravidæ fuerint, torpori uteri post partum valde obnoxiæ sunt; cum statim post infantis partum placenta temere extrahitur, priusquam ægra a languore insigni, quæ fœtus expulsionem sequi solet, vires recuperaverit, hæmorrhagia etiam accidere potest. Contractio uteri abnormis, quæ vel a li-

quoris amnii evacuatione intempestiva, vel subita fœtus evulsione, post caput per partes externas transiverit, aut conatibus vehementioribus placentam per funem detrahere, statim post fœtus extrusionem oritur, hæmorrhagiam quoque inducere valet. Adhæsio morbida etiam partis placentæ ad uterum, post fœtus partum, sæpe hæmorrhagiam excitat. Placenta enim cartilaginea vel ossea, et interdum præter naturam mollis et pulposa fit; pars solummodo placentæ sæpissime in os aut cartilaginem convertitur, sed hæc pars quamvis parva, tam arcte utero adhæret, ut actione naturali hujus visceris separari non potest, sed parte sana placentæ sijuncta, et utero ejus præsentia contractione prohibito, inde haud raro hæmorrhagia oriri potest. Cum placenta mollis et pulposa sit sæpe laceratur, et si pars relicta utero adhæreat, uterum quo minus se contrahat, prohibebit, et ita hæmorrhagiæ originem dat

PROGNOSIS

Ad prognosin justam formandam de ægræ periculo, primo habitum corporis et pristinam valetudinem in animo versandum est; arteriarum pulsus quoque una cum copia sanguinis et celeritate qua fluit diligenter perpendendum est. Arteriarum pulsus debiles quum sanguis neque magna copia neque celeriter fluit, præcipue si mulier antea bona valetudine usa fuerit, quippe ex causa aliqua temporaria pendentes, vix pertimescendæ sunt; sed quum pulsus debiles ex hæmorrhagia profusa aut iterata pendent, tunc quamvis ab oppressione aut deliquii sensu debiliores evadere possunt, tamen his sublevatis, non firmiores fiunt. Quum facile comprimuntur aut motu afficiuntur, aut interdum etiam capitis elevatione, periculum ægræ imminet. Si debilitas auget, pulsus fluctuant, totum corpus fit gelidum et glutinosum, respiratio suspirio fungi-

tur, tunc syncope lethalis finem miseriis imponit. Si irritatio adsit pulsus sæpe acriores reddunt et talibus in exemplis tametsi mors sit propinqua, multo facilius distinguuntur, quam irritatione absente. Rebus ita se habentibus, exitus fatalis sæpe accidit, præter medici opinionem, qui non effectus doloris et irritationis in pulsus bene noverit; nam accessus parvus profluvii, aut interdum exertio sine fluxu, pulsationem antea distinctam, et etiam firmam, repente coercet, calor evanescit et mulier certissime moritur. Majorem fluxum etiam lente fluentem, quam minorem cito emissam facilius susteni posse, in animo tenendum est, nam vasa copiæ gradatim imminutæ facilius se accommodant. Sanguine autem celeriter emisso, subita et generalis systematis vasculosi contractio, ut contentis se adaptet necessaria fit, quod semper debilitatem gignere solet. In omnibus hæmorrhagiis uterinis, inter paroxsysmum pulsus deficere, et mulierem languescere, observamus, syncope etiam accidere potest, sed hoc in pluribus exemplis, plus ex nausea, aut oppressione ventriculi, quam a jactura sanguinis pendet. Teneres et irritabiles deliquio animi iterato laborant, (La Motte exemplum, quo mulier vicies per noctem animi deliquio perpessa est, memoriæ tradidit) sed nisi

plurimum exhausta fuerit, pulsus arteriarum vires recuperant, et vigor ægræ revertitur. In hujusmodi exemplis tamen, prognosis ex copia et velocitate profluvii maxime pendet, nam fieri potest, primum hæmorrhagiæ paroxsysmum syncope fatali ægram afficere posse. Cum uteri torpor, causa hæmorrhagiæ sit, si mulier languescit, periculum imminet, et mors brevi spatio subsequi potest; sed cum morbus ex contractione uteri abnormi oritur, sanguine tardius effuso, periculum non adeo instat.

PROPHYLAXIS.

Quæ olim hæmorrhagia uterina laboravere, quæque ob varias causas eæ obnoxiæ sunt, omni cura causas excitantes evitare debent. Si mulier sit plethorica regimen antiphlogisticum, et exercitatio regularis suadenda sunt, et quum abortus præmissus proclivitatem ad hanc hæmorrhagiam fecerit, omnia quæ fœminam ad graviditatis

tempus legitimum, perducere valent, administranda sunt. Exhibitio diureticorum et purgantium acrium evitari debet, fœminam etiam ex victo lauto, et liquoribus spirituosis, quæ diathesin phlogisticam inducere possunt, abstinere oportet. Pelvis male formata utpote partum retardans, et contractioni uteri languidæ occasionem præbens, hæmorrhagiæ causa est frequens. In talibus exemplis igitur, partum immaturum forsan inducere debemus. Quum debilitas sit magna, aut ubi partus per longum tempus protractus fuerit, omnia quæ contractionem uteri justam excitare possunt, usurpanda, ne hinc hæmorrhagia sequatur. Quoniam subita fœtus evulsio sæpe originem hæmorrhagiæ præbet, talis tractandi methodus, inter partum sedule vitandus est, ni contractio abnormis, aut conditio uteri torpida, superveniat.

MEDENDI METHODUS.

Quanquam in hujus morbi medela, quædam generalia præscribenda sunt; curatio tamen ex causis rite perpensis, maxime pendet, et igitur imprimis ut nos de his certiores faciamus necesse erit.

Consilia medendi generalia tria sunt.

1*mo*, Actionem cordis et arteriarum moderare.

2*do*, Retractionem et compressionem extremitatum vasorum uteri laceratorum favere.

3*tio*, Debilitati obviam ire.

Quo indicationi primæ satisfaciamus venæsectio attentionem nostram sibi præcipue vindicat; in istis exemplis quibus paroxsysmus actionis nimiæ vasorum aut conditionis corporis plethoricæ effectus est, aut quibus hæ causæ morbum diuturniorem reddunt, hac tempestive celebrata, una cum aliis hujusmodi remediis, non solum ad paroxsysmum reprimendum, sed

regressui ejus obstandum, valde efficax est. Quum autem paroxsysmus, non plethora aut systematis vasculosi actione aucta excitetur, venæsectio non indicatur, sed alia remedia ad actionem vascularem cito et efficaciter, sine sanguinis detractione, moderandam, tunc tutius adhiberi possunt; et nisi iis exemplis jam enumeratis, in quibus locus suspicandi existit, vasorum lacerationem ex eorum plenitudine, aut actione aucta, pendere, circulationem aliis modis celeriter moderari posse, præcipue frigoris applicatione inveniemus. Frigus non solum ope pannæ in aqua frigida madidæ, ad dorsum, et vulvam adhiberi potest sed etiam crura, brachia et truncum, spongia, latice gelida imbuta, lavanda, ægra eodem tempore levissime stragulis obtecta, et circuitu aeris frigidi libere admisso, donec in vasa effectus producatur. Hoc facto, nullum beneficium sed potius malum ex frigoris applicatione continuata, oriri potest; calore aucto scilicet ne corporis temperies præter naturam elevetur, obstare solummodo necessarium est. Quatenus frigoris applicatio durare oportet, ex variis rebus pendet; in paroxsysmo primo strenue adhibenda est, sed quando fluxus, versus finem hujus vel paroxsysmo altero tam diu duraverit, ut temperies naturalis ultra modum

reducatur, applicatio frigoris strenua, vires nimium eminuendo, nociva est. In quibusdam exemplis periculosis etiam, a methodo jam dicto decedere necessarium sit; et pannos calefactos, manibus, pedibus, et ventriculo applicare, iis præcipue opus erit, quum fluxus immodicus fuerit, aut diu duraverit, et quum periculum sit, ne vires systematis penitus subsidant. Quibusdam in exemplis, statutu difficile est, utrum hæc remedia adhibere oportet, sed in talibus puerpera nunquam relinquenda est, et effectus remediorum nostrorum diligenter observandus est.

Ad consilium secundum exequendum, nempe retractionem, et compressionem extremitatum vasorum uteri laceratorum favere, vagina cuneolo, ex parte mollis mappæ confecto, inter plicas cujus glacie frustulum positum fuit, impleto, a nonnullis multum laudatur; sed eodem tempore hujus remedii usum cautum monent, nam dum in vagina omnis hæmorrhagiæ species cessavit, sanguis interdum interne fluit, et in utero retentus, qui tota vi contractili orbato, distendat, et tarde coagulis donec vires defecerunt, replet, et medicus inopinans, omnia prospera sperans, ægram animam efflare

videt. HAMILTON noster, prælectionibus suis hoc "remedium solummodo utile esse ait, quum partes affectæ non dilatabiles sunt, ut in Menorrhagia aut Epistaxi, sed penitus inefficax "imo nocuum, in statu uteri gravido, quippe "valde dilatabilis, et exitu sanguini per "vaginam negato, uterum inde distendit, "et membranum deciduam inter et uterum "accumulari autemat." Ad secundum consilium etiam exequendum, manum in uterum introduci et ibi retineri, et leniter moveri, donec fibræ se contrahunt, oportet, et donec hoc fit nec manus nec placenta extrahendæ sunt. Aquæ frigidæ affusio ad abdomen applicata, quod eodem tempore, sine ægræ motu comprimendum est, apprime laudatur. Hoc ope pulvinaris manu adjutoris abdomini admoti, optime effici potest, aut pluria pulvinaria in abdomen icta, pondere suo agentia, sat erunt.

Ut debilitati obviam iamus, conditio ventriculi est observanda, ut quantum nobis situm est, sensui deliquii qui in omnibus hæmorrhagiis occurrere solet, obstaremus, quod ventriculi actionem sustinendo, jusculis bene conditis, parva quantitate adhibitis, et sæpe re-

petitis, efficiendum est. Cardiaca ut Madeira, aut purum, aut dilutum, parvis dosibus, per tempus aliquod ad vires sustinendas subinde danda sunt, sed post ægra se recipere, et pulsus distincte micare incipit, omnino omitti aut tamen diminui debent, nam si usus tam libere continuatur, ne febris aut inflammatio sequatur, periculum est. Opiata in omnibus hujusmodi hæmorrhagiis, post partum meliora sunt. Dosis dari debet ut occasio postulat, ex gtts. XL ad LX tincturæ opii. HAMILTON noster, dosim granorum quinque opii, initio, et grana tria, tertia vel quarta quaque hora dat, donec ægra periculo liberatur. Neque nutrimentum ita sæpe dare oportet, ad ventriculum opprimendum, ne nausea et anxietas subsequatur, donec vomitus errorem attollit. Vomitus mitis minime signum est infaustum, nam interdum uterum ad contractionem ciet, pulsus tamen reditus, et mulieris levamen, non tam cuivis vi propriæ, quam ejus actio systema roborandi habet, ac nauseæ et oppressionis sublationi, attribuendum est. Si hic effectus vomitum non sequitur, res certe mala est. Opium forma solida, dosi trium aut quatuor granorum est optimum remedium, contra vomitum repetitum. Cum syncopen hæmorrhagia produxerit, fœmina in maximo dis-

crimine versatur, tamen non desperanda est, nam aliæ fœminæ aliis ex causis levibus, ad animi deliquium procliviores sunt. Quies summa necessaria est, vultus aqua frigida aspergendus est, et pauxillum vini post opiatum, ad systema excitandum, administrari; postea vinum califactum, et conditum, copia parva adhiberi, et pannos calidos pedibus applicari, oportet. Frictio ventriculi regioni aliquo fluido stimulante, ut ammonia, aut spiritu ardente, utilis erit.

Talia sunt consilia generalia, in hæmorrhagia uterina medenda, in omnibus fere exemplis tamen, medela ex causa morbum excitante, præcipue pendet. Utrum positione prava, aut adhæsione morbida placentæ, utrum contractione abnormi, aut uteri conditione torpida, oriatur, medicum animadvertere oportet. Ægram semper caute examinare debemus. Digiti introductio interdum sat est, sed sæpius vero, totam manum in vaginam immittere necesse erit. Si placenta os uteri occupet, partem inferiorem uteri, plus solito crassiorem sentiemus, et ibi fœtum non tam acurate distinguere possumus. In partem cervicis anteriorem inter os uteri et vesicam urinariam, et paululum etiam utrum-

que latus versus, digitis intromissis, hoc optime indicabit. Cum partem uteri inferiorem coagulum magnum implet, falli possumus, si solum absque digiti in os uteri introductione, examinationi externæ confidamus. Si uterus solitum tactus sensum dat, et fœtum distincte per eum percipere possumus, tunc certe placentam quamvis proxima ori uteri sit, non exacte supra positam esse, compertum habemus. Si os uteri aliquanto apertum sit, tunc digitum inter coagula parva insinuendo, an placenta, an membranæ se præsentent, facile dignoscere possumus. Hic in animo tenendum est, portionem parvam marginis placentæ, sese ostendere posse, quæque sub initio non facile percipi potest. Postquam placentam, ori uteri adhærere pro certo habemus, et consilia medendi quæ enumeravi inutilia fuere, adjutores partum statim promovendum esse, præmonere oportet. Fere unum digitum solummodo introducere possumus, qui etiam arcte statim post intromissionem comprimeretur, sed os uteri confestim relaxatur, ita ut alium, dein alium insinuare possumus. Cum digiti dui inseruntur, interdum dilatari ulterius nequit, sed tunc partem se offerentem repellere facile est, et infantem ver-

tendo, unum pedem præhendere, qui tunc membranis prius ruptis extrahendus est. Quamquam os uteri, manu foris admoto dilatari ægre potest, tamen mira facilitate pressura intus applicata, (exempli gratia, in cruris extractione,) dilatatur. Medicus tamen sub initio caute ageret, et dum fœtum manu altera detrahit (panno tepido molli interposito) membrum contra os uteri alterius manus duobus digitis, sustentare debet. Si placenta totius vel partis separatio casu accidit, magnum discrimen adest. Mulier minime per horas aliquot post fluxus suppressionem deserenda est, enema opiatum, quies et somnus, et alicujus fluidi stimulantis injectio, sunt palliativa solita. Si hi parum perficiunt, aut si hæmorrhagia iteretur, partus, ut supra diximus, promovendus est. Interdum hæmorrhagia ab hac fonte proveniens, celata est, signa cujus sunt vultus pallor, pulsus debilitas, abdominis tensio subita, et uteri aucta moles. Tum sine mora opiata, ore, et etiam enemate, administranda sunt, et partus accelerandus. Hæmorrhagia periculosa rarissime inter infantis partum et placentæ expulsum accidit, opiatum in secundo parturitionis stadio exhibitum, plerumque quo minus superveniat obstabit. Sæpius placentæ extractionem, ob uteri contractionem abnormem

aut debilem sequitur, interdum profusa et evidens sed sæpius interna est, coagulo os uteri obturante. Si signa hæmorrhagiæ celatæ supra tradita adsint, et si vaginæ latera a se invicem distent, et cavitas coagulis impleatur, uterus sine dubio sanguine refertus est. In hisce exemplis curatio jam in capite secundo memorata, prodest, nempe manus introductio, et aquæ frigidæ affusio, et remedia capite tertio proposita, nempe opiata ad vitæ vires sustinendas utenda sunt, sed præter omnia ne fœmina potum nimium accipiat, qui fluido aquoso sanguinis vice vasa implet, cavendum est.

Partis placentæ conditionem morbidam, et retentionem, inter hæmorrhagiæ causas jam enumeravi. Cum res ita se habet, sanguis et coagulatus et fluidus subinde effunditur, uterus fœtorem emittit, et placentæ pars retenta, non nisi post dies complures, conditione putrida expellitur. Si per digiti introductionem, aliquid in utero sentiri potest, caute extrahi oportet, sed irritatio in perscrutando et vis in extrahendo quam minime adhibenda sunt, ne uteri inflammatio inde proveniat. Ad contractionem uteri excitandum, fluidum aliquid gelidum, et astringens, aut aquæ frigidæ rivus plenus

in uterum injiciendus est, ut placentæ partem, modo jam soluta sit, abluet. Emeticum mite interdum expulsioni favet. Alvus apertus servandus et vitæ vires diata blanda et nutriente sustinendæ sunt, sed eodem tempore ne vasa justo citius impleamus, cavendum est.

FINIS.